ne, & captura reorum privilegiatorum, & salariis Custodum, & Ministrorum, qui mitti solent, cum remissiones similium reorum fiunt, ne facta remissione Judicibus legitimis, expensæ videantur minus justæ, & debito graviores, & compellantur censuris, & aliis juris, vel facti remediis, eas reis restituere, juxta *decisionem* Boerii 303. & notata à Naborna *in d. l.* 20. *gl.* 23. *n.* 11.

524 Cavètur autem in dicta concordia, seu *l.* 20. *c.* 8. quod si inter sæculares Judices, & Inquisitores oriatur de jurisdictione contentio, & controvertatur, quisnam sit futurus Judex competens, & legitimus, in alicujus criminis à familiaribus admissi cognitione, & punitione, tunc ab utrisque mitti debeant ad regiam curiam summariæ informationes, ab eis, vel unoquoque eorum captæ, ubi causa cognita per duos Consiliarios regios, & alios duos Senatus sanctæ Inquisitionis generalis, simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura judicii processus remittendus erit ad eos Judices, ad quos ejus cognitio jure pertinere visa fuerit, & ab ea remissione non potest interponi supplicatio, aut aliter recursus intervenire. Si vero isti supremi Judices in sententia remissionis ferenda discordes fuerint, nec tres in eandem sententiam consenserint, Rex ipse consulendus est. Interim autem manere debet familiaris sub custodia ejus Judicis, qui illum carceravit, & supersedendum in causa est donec ad legitimum Judicem remittatur. Qua remissa ad eundem remittendus est reus, etiam si ab alio captus fuerit. Adnotavit juxta prædictam concordiam Simancas, *dict. titul.* 41. *num.* 21. Cephalus tractatu *de cognitione per viam violentiæ* 1. *part. glos.* 15. *num.* 16. & Narbona *in d. l.* 20. *gloss.* 23. & 24.

SUMMA SECTIONIS SEPTIMÆ.

525 *Viduæ, & pupilli, & universim miserabiles personæ, gaudent privilegio electionis fori apud suprema Principum tribunalia, vel inferiora.*

526 *Jus Castellæ de hac re.*

527 *Jus Neapolitanum de eadem.*

528 *Ad Principum officium præcipue spectat protectio miserabilium personarum, & illis in sacris literis passim commendata est illarum cura, & tuitio, etiam sub severa comminatione.*

529 *Miserabiles personæ sunt, quæ misericordiam movent ob fortunæ injuriam, & quis sit miserabilis, positum est in arbitrio Judicis.*

530 *Personæ expressæ in leg. unica, Cod. quando Imperator, sunt miserabiles, & earum miserabilitas non subjacet arbitrio Judicis.*

531 *Pupillus est miserabilis persona, & quis dicatur pupillus.*

Qui est sub patris, vel avi potestate, non est censendus pupillus.

532 *Pupillus est censendus quoad hoc privilegium minor, qui excessit pupillarem ætatem.*

Privilegia concessa pupillis, censentur concessa omnibus, qui per administratores reguntur.

533 *Vidua est miserabilis, & quænam dicatur vidua.*

534 *Rejicitur sententia Covarruviæ, & Alciati, & aliorum de hac re.*

535 *Sub nomine* vidua, *comprehenditur virgo cælebs.*

536 *Virgo etiam sub patris potestate censetur miserabilis ad effectum gaudendi privilegio electionis fori.*

537 *Ratio discriminis inter virum sub potestate, & virginem sub potestate; cur ille non gaudeat, ista gaudeat hoc privilegio.*

538 *Virgo stuprata agens contra stupratorem, gaudet hoc privilegio.*

539 *Virgo desponsata per verba de futuro, non traducta ad domum viri, gaudet privilegio viduarum.*

540 *Mulier nupta habens virum inutilem censetur vidua.*

541 *Vidua etiam opulenta gaudet privilegio electionis fori.*

542 *Viduæ non censentur miserabiles nisi quando sunt pauperes, & oppressæ, & explicatur infra.*

543 *Viduas, & pupillos distinguit Imperator à miserabilibus personis.*

544 *Vidua, & pupillus, etiam divites sunt fortunæ injuria miserabiles.*

545 *Ratio cur viduis hoc privilegium fuerit concessum ex Guillelmo Benedicto.*

546 *Paupertas non est summa miseria, neque divitiæ summa felicitas: divitum miseriæ.*

547 *Paupertas sola facit quem miserabilem.*

548 *Pupillos, & viduas divites non gaudere privilegio leg. unicæ, Codic. quando Imperator, multorum sententia.*

549 *Rejicitur prædicta sententia. Vidua & pupillus divites non gaudent aliis privilegiis miserabilium, quibus facit locum paupertas.*

550 *Viduæ inhonestæ, & luxuriosæ gaudent privilegio electionis fori.*

551 *Inter inhonestam mulierem, & meretricem, multum interest. Meretrix quæ dicatur.*

552 *Quæ inhoneste vivit, non desinit esse vidua, neque miserabilis.*

553 *Viduam inhonestam excludendam esse ab hoc privilegio communis sententia.*

Privilegia concessa viduis censentur concessa solum viduis honestis.

554 *Rejicitur superior sententia, & ejus fundamentis satisfit.*

555 *Acuta objectio contra prædicta, & ejus dissolutio.*

556 *Vidua habet electionem fori, etiam in exactione dotis.*

557 *Contraria sententia, pro qua expenditur text. in l. exigere dotem, ff. de jud.*

558 *Rejicitur, leg. exigere dotem, non potuisse tollere privilegia viduarum postea indulta in d. l. unica, Cod. quando Imperator.*

Dos debet exigi in domicilio mariti excluso domicilio uxoris dotem constituentis, sed non excluso foro viduæ privilegiato.

559 *Vidua quæ virum interfecit, non gaudet privilegio electionis fori.*

Beneficium juris concessum ob aliquam causam non prodest illi, qui eam causam affectaverit.

560 *Debiles, & diuturno morbo fatigati gaudent privilegio electionis fori.*

561 *Pauper & inops, qui non habet unde vivat, est miserabilis, & gaudet electione fori.*

Paupertatis mala, & bona, remissive.

562 *Quis dicatur pauper, est arbitrarium Judici.*

563 *Paupertas quomodo probetur, remissive.*

564 *De jure Castellæ, quis dicatur pauper ad effectum gaudendi hoc privilegio.*

565 *Orphanus est miserabilis persona, & quis dicatur orphanus.*

566 *Minor vigintiquinque annorum parentibus orbus, etiam si excesserit pupillarem ætatem, censetur orphanus.*

In Regno Neapolitano minor ætas finitur anno decimo octavo, quod processit ex jure Longobardo.

567 *Orphanum non dici, nisi utroque parente orbum quorundam sententia. Rejicitur, & orphanum dici proprie, qui patre orbus est, etiam si matrem habeat.*

568 *Orphanus potest dici orbatus matre, si patrem habeat inutilem, in quo versari Judicis arbitrium.*

569 *Captivus, & carceratus censetur miserabilis persona.*

570 *Peregrinus, & advena censetur miserabilis persona.*

571 *Mercatores, qui in itinere pro gabellis gravantur, sunt miserabiles personæ, & gaudent privilegio electionis fori.*

572 *Agricolæ enumerantur inter miserabiles personas.*

573 *Scholares sunt miserabiles personæ.*

574 *Meretrices sunt miserabiles personæ, & gaudent privilegio electionis fori.*

575 *Miserabiles censentur expositi, liberti Ecclesiæ, publici pœnitentes, nuper ad fidem conversi.*

576 *Privilegium miserabilium personarum, quatenus infringat jus commune.*

577 *Per clausulam,* non obstante quacunque lege contrarium disponente, *in rescripto contentam, non censetur derogatum huic privilegio.*

578 *Per Clausulam,* non obstante quocunq; privilegio, de quo oporteat specialem facere mentionem, *aut clausulam,* non obstantibus privilegiis quibuscunq; etiã

si essent talia, de quibus facienda esset mentio de verbo ad verbum, *in rescripto contentas, non censetur derogatum huic privilegio.*

579 *Clausula generalis derogatoria non revocat privilegia clausa in corpore juris.*

580 *Clausulæ generalis derogatoria non derogat privilegio concesso causa miserationis, nisi de ipsis personis, quibus concessum est, fiat expressa mentio.*

581 *Per privilegium referens se ad aliud sub verbis generalibus, non censetur derogatum privilegio miserabilium, nisi facta illius expressa mentione.*

582 *Quænam expendenda cum Barones in Regno Neapolitano petunt remissionem causarum miserabilium personarum.*

583 *Nemo potest superiorem adire per viam querelæ omisso medio.*

Fallit in miserabilibus personis ex privilegiis electionis fori.

584 *Miserabilibus ita favendum est in judicio, ne aliis fiat injustitia.*

585 *Privilegium electionis fori competit Ecclesiæ.*

586 *Privilegio electionis fori gaudet Respublica, & quelibet Universitas.*

587 *Privilegio electionis fori gaudent Clerici litigantes pro rebus Ecclesiæ, non pro suis.*

588 *Clerici gaudent privilegio electionis in causa propria, cum agunt pro injuria sibi facta.*

589 *Curiales de jure Neapolitano gaudent privilegio electionis fori.*

590 *De jure Castellæ non gaudent privilegio.*

591 *De jure Neapolitano Curiales pro juribus cessis non gaudent hoc privilegio.*

Consuetudo prava non vincit bonas leges, & rectæ rationi conformes.

592 *Miserabiles personæ gaudent privilegio electionis fori in civilibus, & criminalibus causis, active, & passive.*

593 *Contraria sententia, miserabiles delinquentes non gaudere privilegio fori, quibus probetur, & numero* 594.

595 *Textum in Authentica,* Qua in provincia, *non tollere privilegia clausa in corpore juris.*

596 *Causa appellationis agitur à reis extra Provinciam, in qua deliquerunt, & non est incommodum, causam criminalem miserabilium agitari in tribunali superiori.*

597 *Explicatur text. in cap.* 1. *de privilegiis in* 6.

598 *Miserabiles gaudent privilegio electionis fori, etiam si illi renunciaverint, ejus renunciatio non valet.*

599 *Baro habens privilegium cum expressa derogatione leg. unicæ, Cod. quando Imperator, non potest ei renunciare in præjudicium vassalli petentis remissionem ad ejus forum.*

Vassallus non potest præjudicare jurisdictioni Baronis, renunciando ejus forum.

600 *Miserabiles gaudent hoc privilegio, etiam si sint contumaces.*

Contumaces amittunt fori declinatoriam, si possunt ipsi renunciare, secus si non possint.

601 *Miserabiles possunt allegare declinatoriam post litem contestatam, & in qualibet parte judicii, etiam in instantia appellationis.*

Declinatoria regulariter non opponitur post litem contestatam, si possit declinatoriæ renunciari, secus si non possit.

602 *Contraria quorundam sententia rejicitur.*

603 *Miserabiles personæ facta semel electione, possunt variare à superiori tribunali ad inferius, & ab inferiori ad superius.*

604 *Contraria sententia juri conformior in praxi Hispanorum tribunalium communis.*

605 *In Regno Neapolitano praxi est approbata variatio.*

606 *Objectio contra praxim Castellæ pro praxi Regni Neapolitani.*

607 *Subtilis, & vera ejus dissolutio.*

608 *Cum reus habet plures Judices de jure communi, electio fori pertinet ad actorem; cum vero plures habet ex privilegio, electio Judicis pertinet ad reum, non ad actorem.*

609 *In Regno Neapolitano miserabilibus licet bis, ter, & quater variare.*

610 *Petita variatione primus Judex manet incompetens, & omnia ejus acta sunt nulla, etiam ante expeditam inhibitoriam.*

611 *Variatio concedi non debet, si nulla subsit causa.*

612 *Neque si judicetur fraudulenta.*

613 *Post factam concordiam, non variatur à superiori ad inferius tribunal.*

614 *A foro superiori ad inferius caute est permittenda variatio, non indistincte.*

615 *Miserabiles personæ gaudent privilegio electionis fori pro juribus cessis sine fraude, tam ex causa onerosa, quam ex lucrativa.*

616 *Miserabiles facti propria culpa, gaudent eodem privilegio.*

Pauper sua culpa factus, gaudet privilegiis pauperum, & alendus est venditis bonis Ecclesiarum, si opus fuerit.

Distributiones quotidianæ Ecclesiarum debentur ei, qui sua culpa incidit in morbum.

Afflictio non est addenda afflicto.

617 *Cum culpa ordinatur ad miserabilitatem, miserabili denegantur privilegia miserabilium.*

618 *Miserabilis qui fuerat tempore electionis fori, non extrahitur à foro electo, etiam si lite cæpta desinat esse miserabilis.*

Judicium ubi est cæptum, ibi debet finiri.

619 *Refertur contraria sententia, & ejus fundamentum.*

620 *Reprobatur, & ejus fundamento satisfit.*

Non cessat effectus causæ cessante causa, quæ habuit effectum consummatum, vel inchoatum.

621 *Miserabilis conventus, velut hæres defuncti non privilegiati, gaudet privilegio electionis fori.*

622 *Id tamen locum non habet de jure Regni Neapolitani.*

623 *Refertur contraria sententia Bartholomæi de Capua.*

624 *Rejicitur.*

625 *Lite cæpta cum defuncto non privilegiato, hæres miserabilis, non potest virtute sui privilegii forum declinare.*

626 *Hoc privilegium extenditur ad litis consortes.*

627 *De jure Neapolitano, ut miserabilis gaudeat hoc privilegio, requiritur juramentum de perhorrescentia adversarii.*

628 *Sed hoc juramentum non requiritur de jure communi, & de jure Castellæ.*

629 *Juramentum perhorrescentiæ de jure Castellæ dat privilegium electionis fori, etiam non miserabilibus, si moveant litem adversus potentes, & dicitur casus Curiæ.*

Potens quis censeatur eo jure.

630 *De jure Regni Castellæ non competit hoc privilegium electionis fori in causis parvis, quarum æstimatio sit minor decem mille maravedinorum.*

631 *De jure Neapolitano non gaudent miserabiles privilegio electionis nisi personaliter compareant, suum privilegium allegaturi.*

632 *Id tamen procedit in criminalibus, non in civilibus.*

633 *Miserabilis non gaudet hoc privilegio adversus alium miserabilem. Conquassatis privilegiis reditur ad jus commune. Duo vincula fortiora sunt, quam unum.*

634 *De jure Regni Neapolitani Curialis utitur privilegio contra alium Curialem.*

635 *Superveniens miserabilitas post litem cæptam, non dat privilegium miserabili, neque eximit litigantem, aut litem, à veteri foro.*

636 *Si miserabilis lite cæpta succedat non miserabili, non gaudet quoad eam litem privilegio electionis fori.*

637 *Privilegium superveniens post præventam jurisdictionem, & litem cæptam, sive acquiratur casu, sive impetretur à litigante, sive concedatur motu proprio, non eximit litem à veteri foro.*

638 *Privilegium, seu beneficium à jure indultum propter aliquam causam, non prodest ei, qui illam causam affectaverit.*

639 *Concessio Principis etiam motu proprio facta lite pendente, sine litis mentione, non valet.*

Princeps non præsumitur per privilegium suum aliis damnum inferre.

640 *Refertur contraria sententia, privilegium motu proprio concessum eximere privilegiatum quoad litem cæptam.*

641 *Reprobatur, & explicatur tex. in l. qui autem, in* rii *princ. ff. si quis cautionibus.*

642 *Satisfit argumento ducto ex aliis legibus, & numero* 643.

644 *Senatores dum judicant de causis sociorum, valde sunt suspecti. Suspectus est Judex socius, & qui similem causam habet.*

645 *Nova declaratio traditur, rejecta communi distinctione.*

646 *Perempta instantia, privilegium superveniens lite cæpta reassumit vires.*

647 *Refertur contraria sententia Fulgosii, & ejus fundamentum, ex l. si quis repetere, ff. ad Senatusconsultum Turpilianum.*

648 *Rejicitur, & fundamento satisfit. Privilegium miserabilium non transfertur per cessionem.*

649 *Privilegium fori miserabilium non habet locum in causis fiscalibus.*

Miserabilis non gaudet privilegio fori, nisi cum eligit Judicem legitimum, & competentem sui adversarii.

650 *Miserabilis non gaudet privilegio electionis fori in causis feudalibus.*

In causis feudalibus, quis sit Judex competens de jure communi feudorum, & quis de jure Neapolitano.

651 *Ubi agitur de reddendis rationibus, miserabiles non gaudent privilegio electionis fori, & limitatur, remissive.*

SECTIO SEPTIMA.

De foro miserabilium personarum.

525 SEptima conclusio. Viduæ, & pupilli, & universim miserabiles personæ gaudent foro privilegiato, seu ut proprius loquar, gaudent privilegio electionis fori: nam sive agant, sive conveniantur, possunt eligere forum Imperiale, & Regium, apud suprema tribunalia; declinarque forum inferiorum Judicum ordinariorum: vel si conveniantur apud suprema tribunalia, ea declinare, & eligere Judicem proprium inferiorem. Ita probat de jure communi textus *in l. unica, C. quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel alias miserabiles personas cognoscat*, ubi docuerunt Azo, Cynus, Bartolus, Albericus, Baldus, Angelus, Salycetus, Paulus, Fulgosius, Syntagma communium opinionum *lib.* 3. *tit.* 12. *ex num.* 1. Battaglinus *ad Cynum in d. leg. unica*, Tuscus *liter. M. conclus.* 273. & 274. Guido Papæ *decis.* 566. Rebuffus *ad leges Galliæ, tom.* 1. *tractat. de sentent. præjudicialib. seu provisional. art.* 3. *gloss. ultima, versic. secundo quia causa*, Belluga *in specul. Princ.* 38. §. *conqueruntur*, *n.* 1. & ibi Borellus, Menochius *de arbitrar. lib* 2. *centur.* 1. *casu* 66. *ex n.* 1. *glos. in cap. significantibus*, 38. *verb. pauperem se dixisse, de offic. & potestat. judic. delegat. & in capit. ex tenore*, 11. *verb. in justitia de foro competent.* & istis locis Canonistæ, Andreas Gail. *practicar. observation. lib.* 1. *observat.* 1. *ex num.* 40. Thesaurus *decis.* 177. Giurba *decis.* 82. Mastrillus *dec.* 268. *n.* 1. Rolandus Valle *cons.* 76. *ex numer.* 35. *volum.* 1. Natta *cons.* 590. *tom.* 3. Scaccia *de appel. quæst.* 7. *num.* 114.

526 De jure Castellæ convenit cum illa *lib.* 3. *tit.* 10. *par.* 2. ubi Glossa sexta, *lib.* 5 *tit.* 3. *part.* 3. ubi Glossa secunda, *cum seqq. l.* 41. *tit.* 18. *par.* 3. & ibi Glossa 1. 2. & 3. *l.* 20. *tit.* 23. *eadem*, *par.* 3. & Glossa prima ibi, *cum seq. & l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 4. *l.* 8. & 9. *tit.* 3. *eodem lib.* 4. *recopil.* in veteri ordinamento, *l.* 1. & 14. *tit.* 3. *eodem lib.* 4. *recopil.* in veteri ordinamento, *l.* 1. *titul.* 1. *lib.* 3. & *l.* 1. & 14. *tit.* 2. *eodem lib.* 3. Azevedus *in dicta leg.* 8. & 9. Didacus Perez *in dicta leg.* 1. *tit.* 1. *lib.* 1. *ordinamenti, glos.* 3. *verb. pobres, colum.* 764. *cum sequent. & in d. leg.* 1. *titul. secundo, gloss.* 2. *colum.* 830. *eodem lib.* 3. Covarruvias *in pract. cap.* 6. & 7. Paz *in praxi, tom.* 1. 1. *part.* 1. *tempore, ex num.* 18. Villadiego *in politica, cap.* 1. *num.* 87. & 90. Bovadilla *lib.* 2. *politic. cap.* 15. *num.* 214. Castillo *quotidian. controvers. lib.* 3. *cap.* 25.

527 De jure Regni Neapolitani idem statuitur *in constitut. statuimus, de offic. Magistr. justitiar.* ubi notant Andreas de Isernia, & alii antiqui ejusdem constitutionis glossatores, tractat Afflictis *ex num.* 13. *in fine, cum seqq.* Follerius *ex num.* 17. Mormille *num.* 1. Balzaranus *ex num.* 12. & prosequitur elegantissime doctissimus Regens Carolus Tapia *ex num.* 17. idem statuitur *in cap. Regni, quod decretum* 42. ubi Joannes Antonius de Nigris *ex num.* 8. & *in cap. de violentiis*, 150. & ibi idem Nigris *ex num.* 9. idem statuitur *in ritu* 228. & *in ritibus* 229. 230. & 233. ad quos videndus est Caravita, qui late in eorum explicatione agit de hac re, & *ad ritum* 19. idem Afflictis *decis.* 257. Trentacinquius *lib.* 2. *variarum resolutionum, tit. de citationibus, resolut.* 2. *per totam*. Borellus *de regis catholic. præstantia, cap.* 62. *num.* 55. Philippus Paschalis *de viribus patr. potestat. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 91. Marcellus Cala *de modo articulandi*, §. 1. *gloss.* 1. *ex num.* 78. idem Follerius *in praxi criminali*, 1. *part.* 2. *part. verb. audiantur excusatores, ex num.* 77. Muscatellus *in praxi Sacr. Regii Consilii lib.* 1. *part.* 2. *gloss. competentes, num.* 29. & 30. & 70. *cum seqq.* Galluppus *in praxi Sacr. Regii Consilii* 2. *par. cap.* 6. *ex n.* 56. Riccius *collect.* 1. 86. 300. & 2274. novissime Joannes Maria Novarius *in praxi electionis, & variationis fori, libro integro scripto de hoc privilegio, sect.* 1. *quæst.* 3. *cum sequentibus*.

Ratio autem cur his personis indultum sit hoc privi- 528
legium, ea fuit, quod videatur ad Principum officium præcipue spectare, similium personarum protectio, *cap.* 1. & 2. *distinct.* 87. *cap. ab Imperatoribus*, 23. *quæst.* 3. *cap. Regum, cap. Administratores*, 23. *quæst.* 5. ubi Glossæ, & post eas Archidiaconus, & Geminianus adnotarunt: idque quoniam passim in scriptura sacra illarum cura, & tuitio illis commendata, sit etiam sub severa comminatione, quas Deus ipse videantur sub sua protectione recipere, easque peculiari favore prosequi, & illis auxilio, & præsto esse; ideoque Vicariis suis earum curam nominatim demandasse. *Exod.* 22. *n.* 22. *Viduæ, & pupillo non nocebitis: Si lacesseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli*. Deut. 10. n. 18. *Facit judicium pupillo, & viduæ amat peregrinum, & dat ei victum, atque vestitum*, & c. 37. n. 17. *Non perverte judicium advenæ, & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum*, c. 27. n. 19. *Maledictus qui perverti judicium advenæ pupilli, & viduæ*, Psal. 67. num. 6. *Patris orphanorum, & Judicis viduarum*, Psal. 145. num. 9. *Dominus custodit advenas, pupillum, & viduam suscipiet*. Proverb. 5. num. 25. *Firmos faciet terminos viduæ*. Ecclesiast. 35. n. 17. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*. Isaiæ 1. n. 17. *Discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam*. Jerem. 7. n. 6. *Advenæ, pupillo, & viduæ, non feceritis calumniam*, & c. 22. n. 3. *Facite judicium, & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & advenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis inique*. Zachar. 17. n. 10. *Viduam, pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari*. Psal. 9. vel 10. secundum Hebræos n. 9. *Oculi ejus in pauperem respiciunt*, & n. 14. *Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor*, & num. 17. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Isaiæ 66. num. 2. *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu*. Ideoque eisdem sacris litteris traditum est imminere divinum supplicium iis, qui hoc tam commendatum præceptum despiciunt, imputareque Deum optimum maximum, graviter, & acerbe ejus violationem iis qui illud non servant. Amici Job credebant, ipsum ob id incurrisse divinam iram, & punitionem, Job 22. n. 6. *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus. Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem*, & n. 9. *Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti*, & c. 24. n. 3. *Asinum* pupillorum *abegerunt, & abstulerunt pro pignore bovem, viduæ subverterunt pauperum viam*, & n. 21. *Et viduæ bene non fecit*. Psalm. 93. n. 6. *Viduam, & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt*. Isaiæ 1. n. 23. *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos*, & cap. 10. num. 1. *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes in justitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim*

vim facerent causæ humilium pupilli mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Jerem. 5. num. 28. *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt*. Ezech. 22. num. 7. *Advenam calumniati sunt in medio tui, pupillum, & viduam contristaverunt apud te*. Contra vero ipsemet Job se immunem ab hac culpa, & punitione, indignum ostendit, imo vero tanquam retributione dignum Deo commendat, dum ait, cap. 29. n. 11. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum*. & num. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissime investigabam, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*, & cap. 31. num. 16. *Si negavi quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea*, & num. 19. *Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderim me in porta superiorem*. Neque tædeat hæc aliquanto longior testimoniorum sacrorum commemoratio quo sciat Judex mere laicus, seu Legista, quam passim sit injunctum sacris litteris munus tuendi hujuscemodi personas, quantumque, & quam severe commendatum, & sub qua pœna.

538 Sunt autem miserabiles personæ, quæ infelicitatem passæ ob fortunæ injuriam, misericordiam nostram movent. Quænam autem sint miserabiles in arbitrio Judicis positum est, ut notarunt Cynus, Bartolus, Albericus, Baldus, Angelus, *in d. leg. unica, C. quando Imperator*, Marianus Socinus *in cap. ex tenore, num.* 4. *de foro competenti*, Felynus *in cap. significantibus*, 38. *num.* 6. *de offic. & potest. jud. deleg.* Rebuffus *in d. gloss. ultima, vers. item aliæ personæ*, Menochius *d. casu* 66. *num.* 1. Covarruvias *practicarum, d. cap.* 6. *num.* 3. *in fine*, Caballinus *milleloq.* 697. *prope finem*, Mascardus *de probationibus, tom.* 2. *concl.* 1065. *num.* 1. Calvinus *in lexico, verb. miserabilium personarum*, Trentacinquius *dicta resol.* 2. *num.* 24. Novarius *in praxi elect. fori, sect.* 1. *quæst.* 53. & fere omnes allegati supra, num. 525. & duobus sequentibus.

539 Verum ea communis Doctorum traditio limitanda est in iis personis, quas in specie textus *d. l. unica*, miserabiles vocat: nam quod ad has attinet, an sint miserabiles, non est positum in arbitrio Judicis, quippe cum arbitrarium non sit, quod certo jure definitum est, ut prosequitur Menoch. *de arbitrariis, lib.* 1. *quæst.* 14. quod vero pertinet ad cæteras in dicta lege non expressas, manet earum miserabilitas sub Judicis arbitrio. Quæ fuit animadversio Mariani Socini, Rebuffi, Covarruviæ, Caballini, Menochii, ubi supra, Scacciæ *de appellationibus, quæst.* 7. *num.* 138.

540 In primis autem est miserabilis persona, primoque expressus *in d. l. unica, Cod. quando Imperator*, pupillus. Porro pupillus dicitur, non solum ratione ætatis, sed etiam conditionis personæ, ille, qui cum impubes sit, desiit in patris potestate esse, aut morte, aut emancipatione, *l. pupillus*, 239. *ff. de verbor. signif.* notat Azo *in summa, n.* 4. *C. quando Imperator*, Paul. Castrens. *in rubric. C. eod. tit.* Rolandus à Valle *cons.* 66. *n.* 42. *volum.* 1. Calvinus *in lexico, verb. pupillus*, Novarius *in praxi electionis fori, sect.* 1. *quæst.* 6. *n.* 7. tametsi Covarruvias *d. cap.* 6. *n.* 2. videatur confundere pupillum cum orphano, quasi requiratur, ut pupillus gaudeat privilegio *d. l. unic.* ut patre sit orbatus; quem sequitur Menoch. *dict. casu* 66. *num.* 3. Quod tamen non credo verum tantorum virorum pace, cum simpliciter prædicta *l. unica*, concedat pupillis hoc privilegium, & pupillus proprie dicatur, non solum patre orbatus, sed quilibet impubes extra patriam potestatem, quod adnotavit quoque Castillo *quotidian. controvers. lib.* 3. *cap.* 25. *n.* 17. Illud tamen verum est, & ut indubitatum assumit Gloss. *d. l. unica, verb. contra pupillos*, necessarium esse, ut quis fruatur isto privilegio tanquam pupillus, ut extra patriam potestatem sit constitutus; quam sequitur Franchis *dec.* 10. *n.* 15. & *seqq.* & Muscatellus *in praxi lib.* 1. *part.* 2. *gloss. competentes, n.* 72. Imo vero si quis mortuo patre sub avi potestate maneat, ex hoc capite pupillaris conditionis non gaudebit eo privilegio; ut notat idem Franchis *decis.* 671. Paschalis *de viribus patriæ potest. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 92. *in fine*, Capiblancus *in prælim.* 8. *par.* 1. *n.* 326. *de Baronibus*, Riccius *collect.* 1. Novarius *in d. praxi elect. fori, sect.* 1. *q.* 5. *num.* 10. Gratianus *discept. forens. cap.* 421. *n.* 69. & 70. *tom.* 3. quia pupillus censeri non potest qui est sub patris, vel avi potestate. Dixi, *ex cap. pupillaris conditionis*, nam utrum ex alio capite, tanquam orphanus, possit gaudere prædicto privilegio, inferius expendemus.

In praxi autem censendus est pupillus, quoad effe- 541
ctum gaudendi hoc privilegio, etiam ille, qui pupillarem ætatem excessit, dummodo non sit major, teste Covarruvia *d. cap.* 6. *n.* 2. cujus doctrinam sequitur, & docte confirmat Paschalis *d. n.* 92. non jure reprehensus à Novario *in prædicta praxi, sect.* 1. *quæst.* 6. moto authoritate Horatii Visconte *ad d. decis.* 100. *Vincentii de Franchis, n.* 17. qui refert sic decisum contra Covar. in Regia Audientia Calabriæ ultra. Magna quidem res authoritas Audientiæ Calabriæ ultra sine alio fundamento, cætus inquam duorum, vel trium juvenum analphabiton, quæ præponderet authoritati Didaci, & praxi Regni Hispaniarum. De qua, quamvis ille solum loquatur, cum ejus Regni leges, quoad hunc juris articulum, non discrepent à jure communi, idem recipiendum est, ubicumque jus commune viget. Tametsi enim non negemus, majorem quatuordecim annorum, non proprie vocari pupillum, favor tamen, & miseratio minoris ætatis egentis extraneo administratore, quæ in majoribus etiam quatuordecim annorum locum habet, locum facit huic privilegio ex mente legis, cujus decisio extenditur extensa ejus ratione, *l. regula*, §. *ultimo, ff. de juris, & facti ignorantia*, *l.* 2. §. *quid si decesserint*, 40. *ff. ad Senatusc. Tertull.* Franciscus Suarez *de legibus, lib.* 6. *c.* 5. *n.* 5. Salas *de legibus, disp.* 21. *sect.* 5. *n.* 12. Monter. *dec.* 16. *n.* 13. & 14. Tiraquell. *in l. si unquam, verb. libertis, n.* 45. & 46. *C. de revoc. donat.* Quæ fuit ratio, cur privilegia pupillis concessa, censeantur concessa omnibus aliis personis, & personarum universitatibus, aut piis locis, & causis, quæ per administratores reguntur. Quod desumitur *ex l.* 2. & ibi Glossa, *verb. adolescentium, C. de curat. furios.* cui consonat Baldus *in l. jubemus*, 14. *n.* 13. *C. de sacros. eccl.* & ex illis id tradit Bartholom. Socin. *cons.* 66. *n.* 7. *vol.* 4. & Follerius *in praxi crim.* 1. *part.* 2. *part. verb. audiantur excusatores, n.* 103. & 104. & cur pupillus adulto curatorem habenti, prodigoque & furioso æquiparetur, ut notat Caldas Preira *in l. si curatorem, verb. hunc contractum, num.* 1. & 2. *C. de in integr. minor.* Franchis *dec.* 598. Quare Paschalis sententia non est erronea, ut censuit Novarius; imo vero magis æqua, & verisimilis, quam in consulendo, & judicando servandam judicaremus: quam praxi Hispanorum tribunalium receptam testatur etiam Gregor. Lopez *in lib.* 5. *tit.* 3. *part.* 3. *gloss.* 4. quem sequitur Castillo *lib.* 3. *quotid. controvers. cap.* 25. *num.* 17. & *vide ibi num.* 22.

Secundo, in prædicta *l. unica, Cod. quando Imperator*, 542
connumeratur inter miserabiles personas à Constantino, *viduæ*. Vidua autem proprie dicitur, cujus maritus decessit, *c. viduæ*, 35. *distinct. l. malum*, 242. §. *viduam, ff. de verb. significat.* ubi notarunt Alciatus, & Rebuffus, Covarruvias *in practic. d. cap.* 7. *num.* 2. Neque vero solum vidua dicitur quæ maritum amisit, sed quæcumque mulier virum non habet, etiam si virgo sit, *ut in d.* §. *viduam*; notavit Jurisconsult. Jabolenus ex Labeone: vidua enim dicitur, quasi sine duitate, ut vecors, & vel anus sine corde, sine sanitate. Quamobrem nomen *viduæ*, utramque comprehendit, & utraque censenda est miserabilis persona & ad utramque hoc privilegium *l. unicæ*, pertinere credendum est, ut existimarunt Azo *in summa, C. quando Imperator, n.* 5. & *in d. l. unica*, Cynus, Bartol. Alberic. Fulgos. Gregor. Lop. *in l.* 5. *tit.* 3. *par.* 3. *gloss.* 2. Isernia *in d. constitut. statuimus, de offic. Magist. justit.* & ibi Afflict. *n.* 29. Regens Tapia *n.* 20. Mormille *n.* 7. Jo. Lupus *in cap. per vestras, not ab.* 2. *n.* 12. & 13. *de donat. inter*, Caballinus *milleloq.* 697. Rebuffus *in d. gloss. ultima, vers. providere*, Menochius *d. casu* 66. *n.* 8. Marta *de jurisdictione, par.* 3. *cap.* 21. *num.* 5. Follerius *in praxi crimin. verb. audiantur excusatores, ex num.* 85. Trentacinqu. *de resolut.* 2. *n.* 16. *vers. hæc conclusio*, Card. Tuscus *liter. M. d. conclus.* 273. *num.* 9. Caravita *ad ritum* 19. *num.* 20. & 21. Marcellus Cala *de modo articulandi*, §. 1. *gloss.* 1. *n.* 111. Gratianus *discep. forens. tom.* 3. *cap.* 565. *num.* 69. & 72. Scaccia *de appellat. q.* 7. *n.* 130. *versic. subrestringe*, 3. Paschalis *de virib. patr. potest. par.* 2. *cap.* 2. *n.* 94. Novarius *in d. sua praxi, sect.* 1. *quæst.* 11. & 12. Guid. Pap. *dec.* 566. Franchis *dec.* 100. *ubi n.* 5. ait, id ita semper servatum in S. C. & *dec.* 599. Peregrin.